

1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM GRAECORUM ET ROMANORUM
EDITA CURANTIBUS
IOANNE KVÍČALA ET CAROLO SCHENKL.

Q. HORATI FLACCI

CARMINA

SCHOLARUM IN USUM

EDIDIT

MICHAEL PETSCHENIG.

PRAGAE
SUMPTUS FECIT F. TEMPSKY.

LIPSIAE
SUMPTUS FECIT G. FREYTAG.

MDCCCLXXXIII.

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM GRAECORUM ET ROMANORUM
EDITA CURANTIBUS
IOANNE KVÍČALA ET CAROLO SCHENKL.

Q. HORATI FLACCI
CARMINA

SCHOLARUM IN USUM

EDIDIT

MICHAEL PETSCHENIG.

PRAGAE
SUMPTUS FECIT F. TEMPSKY.

LIPSIAE
SUMPTUS FECIT G. FREYTAG.

MDCCCLXXXIII.

Q. HORATI FLACCI

CARMINA

SCHOLARUM IN USUM

EDIDIT

MICHAEL PETSCHENIG.

PRAGAE
SUMPTUS FECIT F. TEMPSKY.

LIPSIAE
SUMPTUS FECIT G. FREYTAG.

MDCCCLXXXIII.

PRAEFATIO.

Fundamentum editionis huius, quae scholarum usibus destinata est, subsidia critica sunt a Kellero et Holdero collecta. Is vero codicum, quorum notitiam indefesso utriusque viri labori debemus, est status atque ea condicio, ut in plures familias discedentium nullus sit aut integritate tanta aut vetustate, ut ceteris eminentior tamquam dux regat examen. Neque vero consensu eorum omnium confirmari semper veram et genuinam lectionem et, ubi diversas exhibent scripturas, id quod sescenties fieri dolemus, eligendi difficultate inextricabili praepeditum saepe confundi hominem criticum quis est qui nesciat? Ergo nonnumquam confugiendum erat ad libros manu scriptos a Cruquio [1]) Bentleio aliis adhibitos, quos quidem ut deterrimos fideque prorsus indignos abici iussit Kellerus. Non recte puto: nam si essent deterrimi, nullum omnino emolumentum ex eis posset capi. At lectiones vel, si alio nomine mavis uti, emendationes nobis illi subpeditant aut probabiles aut etiam certissimas. Multo pluris habenda sunt virorum doctorum inde a Bentleio usque ad nostram aetatem ingeniosa commenta; quae si doctrina et ratione et probabilitate commendari viderentur, in verborum contextum recipere non dubitavi. Itaque quod adtinet ad verba poetae restituenda, codices antiquos, quatenus licuit, secutus sum, his destitutus alios consului, locis corruptis coniecturas fide dignas recepi, desperatis lectionem traditam signo corruptelae addito retinui: in universum autem id adsequi studui, ut discentibus non solum verbis emendatum traderem poetam, sed etiam intellectu facilem, praesertim cum editores nonnullos vidissem in id vitium incidisse, ut receptis aut formis verborum minus usitatis aut coniecturis per longas ambages

1) Cod. Blandinium antiquissimum, de quo Kellerus paulo iniquius iudicavit, Berolinenses nimia veneratione suspiciunt; cf. W. Mewes, Ueber den Wert des Codex Blandinius vetustissimus für die Kritik des Horaz, Berolini 1882, p. 24. Librum illum manu scriptum cum L. Muellero neque meliorem fuisse puto neque antiquiorem quam Kelleri codices AB (A′ B′), quorum lectiones consentientes ut integerrimas nisi graviore causa intercedente non neglexi, praesertim iis locis, quibus Porphyrionis scholiis vel lemmatis confirmantur.

quaesitis laborem gravissimum iniungerent adulescentibus, quibus plerumque praeter lexicon nihil subsidii ad manum est. Eandem ob causam a me inpetrare non potui, ut accusativi pluralis formas in *is* desinentes admitterem. Orthographiam autem ita institui, ut a doctrina Brambachii iam dudum scholis adcommodata nisi perpaucis locis non desciscerem.

Quod carmina dicola quoque et monocola ita discripsi, ut versuum quaternorum strophae efficiantur, nolim sic interpretentur viri docti, quasi legem strophicam, quam Meinekianam vocant, probem atque amplectar. Feci id quidem invitus et consuetudinem magis retinens, quae nuper apud Germanos potissimum increbruit, quam meae ipsius sententiae satisfaciens. Nullo enim modo mihi possum persuadere rei tam singularis memoriam Neronianis iam temporibus prorsus fuisse oblitteratam. Nam si concedimus Horatium carmina illa strophis quaternorum versuum iussisse describi, aliquot saltem codices et Caesii Bassi aetate et post eum extitisse, qui distinctionem illam prae se ferrent, veri est simillimum. At vero non extabant. Praeterea, quid sibi velit ista lex, non video. Nihil ad rem facit, cum ne sensu quidem aut interpunctione singulae ubique strophae discernantur, nullam omnino artem novam ac praecipuam detegit et manifestat, nulla denique veterum norma aut doctrina innititur. Casu quodam factum est, ut viginti tria carmina legi illi respondere videantur: sunt autem monosticha quinque, tria in libro primo, unum in tertio, unum in quarto; disticha duodeviginti, octo in libro primo, unum in secundo, sex in tertio, tria in quarto. Quibus repugnat carmen monostichum IV, 8, in dubio relinquitur c. III, 12. Et carmina quidem disticha duodeviginti ita esse conparata non adeo mireris, si consideraveris Sapphus odis libri secundi et tertii omnibus simile quid evenisse. Legimus enim apud Hephaestionem p. 116: *σύστημα δέ ἐστι μέτρων συναγωγὴ . . . ἢ ὁμοίων ἢ ἀνομοίων . . . τὸ δὲ ἐξ ὁμοίων, ὡς τὸ δεύτερον Σαπφοῦς, ὡς προϊόντες δείξομεν.* p. 117: *κοινὰ δὲ συστηματικά, ἅπερ καὶ ὁ κατὰ στίχον γεγράφθαι φάσκων ὑγιῶς ἂν λέγοι, καὶ ὁ κατὰ σύστημα· ὡς τὸ δεύτερον καὶ τρίτον Σαπφοῦς. διὰ μὲν γὰρ τὸ ἐν τοῖς παλαιοῖς ἀντιγράφοις κατὰ δύο ὁρᾶν παραγεγραμμένον ἕκαστον ᾆσμα, καὶ ἔτι διὰ τὸ μηδὲν εὑρίσκεσθαι ἀριθμοῦ περιττοῦ, κατὰ συστήματα νομίζομεν αὐτὰ γεγράφθαι· πάλιν δὲ τῷ ὅμοιον ἑκάτερον εἶναι τῶν ἐν τῇ δυάδι στίχων, καὶ τῷ δύνασθαι τὴν ποιήτριαν κατὰ τύχην τινὰ ἀρτίου πάντα ἀριθμοῦ πεποιηκέναι, φαίη ἄν τις κατὰ στίχον αὐτὰ γεγράφθαι.* Vides scriptores metricos Graecos observasse quidem tale quid in lyricis, sed quamquam exemplarium veterum auctoritate satis adiuvarentur, tamen non ausos esse legem certam omnique dubitatione exemptam statuere, sed *κατὰ τύχην τινά* ita potuisse fieri omnino non negasse. Utut vero ista res se habet, id ex Hephaestionis verbis rectissime concluditur strophicam illam binorum versuum distinctionem per multa

saecula intactam duravisse in libris manu scriptis. Quid ergo? Caecosne fuisse putemus Latinos? Minime. Quod si fuit stropharum distinctio, etiam tradita est a librario ad librarium; si tradita fuit, saeculis quattuor vel quinque primis, quoad grammaticorum studia florebant, aboleri non potuit. At neque in scholiastarum explicationibus neque in grammaticorum libris neque in scriptorum metricorum tractatibus usquam rei illius mentio fit. Quod autem nemini umquam Romanorum, quantum nos quidem scimus, cognitum fuit atque perspectum, id falso docere eos qui Meinekium sequuntur et nunc credo et usque credam, dum argumentis certissimis erroris convictus ero.[1])

De interpolationibus Horatianis longius disserere piget. Tot enim post Peerlkampium extiterunt viri et docti et indocti, qui urendo, secando, lacerando medellam adferri posse Carminum libris non solum sibi ipsis persuaserunt, sed etiam aliis probare argumentationibus diversissimis conati sunt. Etsi negari non potest poetae Venusino ut aliis plerisque scriptoribus antiquis labem hic illic adspersam esse temporum iniuria, tamen tota illa interpolationis ratio et doctrina mihi quidem perversa esse videtur ac futtilis. Si nihil aliud, certe metrorum lex atque observatio severissima nec cuivis perspecta homines litteratos deterrebat, ne obscuris foedisque versibus adscriptis splendorem Musae Horatianae obfuscare temptarent, praesertim cum tales conatus florentibus adhuc ac vigentibus studiis, quorum non minima pars erat poesis Horatianae lectio atque explicatio, homines doctos haud facile effugere potuerint: qui sicuti non ferebant epistulam illam atque elegos, quorum Suetonius meminit, ita ne strophas quidem male adplicatas tulissent corniculasque furtivis plumis contectas continuo denudassent. Corruptiores ad nostram aetatem pervenisse puto Sermonum et Epistularum libros: in quibus si qui sunt versus spurii atque subditicii, labenti iam et lapsae antiquitati inputaverim aut ipsi aevo medio.

Verum iam tempus est finem facere verbis temere fortasse, si multitudinem dissentientium considero, sed ex animi sententia prolatis, atque transire ad ea, quae de locis quibusdam aut difficilioribus aut nondum bene conpositis praemittere in animo est. Qua in re si vel minimum quid

1) Ne Christio quidem Meinekius et Lachmannus plane persuasisse videntur. Cf. Metrik der Griechen und Römer[2], p. 601: 'Auffällig ist nur, dass der Dichter den Sinnschluss nach dem jedesmaligen vierten Verse hier (in odis monocolis), wo er doppelt sorgsam zu beobachten war, mehr wie in andern Oden vernachlässigt hat.' p. 481: 'Dass Horaz regelmässig 4 Verse zu einer Strophe verbunden wissen wollte, haben erst in unserer Zeit Meineke und Lachmann erkannt, doch scheint der Dichter eben dadurch, dass er so oft, in Od. III, 20 durchaus, mit dem 4ten Vers den Sinn nicht schloss, angedeutet zu haben, dass er diese Strophen nicht als vollgiltige Strophen betrachtet wissen wollte'.

contulero ad verba Horati vel recte intellegenda vel probabiliter emendanda, satis superque contentus ero.

Carminum lib. I. — 1, 13 *demoveas*] cf. C. III, 8, 10. IV, 5, 14. S. I, 1, 39. Diversum est *dimovere* C. I, 23, 7. III, 5, 51. — 3, 19 *turgidum* codd. multi, non recte. — 12, 21 *proeliis audax* rectius ad Liberum refertur; cf. C. II, 19, 21—28. Ceterum inter se obponuntur *proeliis audax* — *inimica beluis* — *metuende sagitta.* — 12, 31 *quod*] *quia* libri optimi et Porphyrion. — 13, 5 *tunc* recepi ex libris optimis, item C. III, 29, 62. — 15, 36 *Iliacas*] *Pergameas* editiones multae; cf. Schuetz (ed. I) ad C. III, 5, p. 363. — 16, 8 *si*] *sic* codd. — 17, 14 *hinc* codd. plerique. — 19, 8 *aspici*] cf. Keller, Epileg. p. 74. Ego quoque in codicibus perantiquis saec. VII—IX, quos aut ipse contuli aut ab aliis conlatos accepi, nusquam *adspicio* scriptum repperi. — 20, 10 *bibes* codd. fere omnes, *bibis* Porph. fort. recte; *bibas* coniecit Keller. Cf. L. Mueller ad S. II, 3, 1 (edit. II, p. LVII). — 23, 5—6 *vepris* . . . *ad ventum* Bentley, alii; *veris* . . . *adventus* codd. — 25, 20 *Euro* Aldus, *Hebro* codd. — 26, 9 *Pimplea* Peerlkamp; *Piplea* codd. et Porph., rectius puto. — 27, 11 *Megyllae*] cf. Keller, Epileg. p. 93. — 27, 19 *laboras in*] *laborabas* codd. plerique. — 28, 21 *rapidus* Kelleri codices; cf. C. I, 3, 14 *rabiem Noti.* — 29, 1—5. Hos versus cum aliis puto interrogative pronuntiandos esse, cum admiratione quadam, quod Iccius philosophandi studium tam subito mutarit militiamque adripuerit, quae a philosophia sit alienissima. — 31, 9 *Calenam* Porph. et Bentley, *Calena* codd. — 31, 10 *et*] *ut* codd. multi. — 31, 18 *ac*] *at* codd. plerique. — 32, 15 *medicumque* Lachmann. — 34, 13 *insigne* Bentley, *insignem* codd. — 35, 17 *serva* codd. optimi et Porph., *saeva* alii.

Carminum lib. II. — 6, 18 *amicus Aulon* bene defendit Buecheler in Mus. Rhen. XXXVII, p. 228. — 8, 2 *Barine*] cf. etiam Buecheler l. c. p. 229. — 10, 9 *saevius* Cuningham, *saepius* codd. — 11, 23—24 Bentleium secutus sum. — 12, 28 *occupet*] cf. Buecheler l. c. p. 233. — 13, 38 *laborum* alii. — 17, 14 et III, 4, 69 fortasse retinenda fuit librorum lectio *gigas*; cf. Keller, Epileg. p. 168. 'Briareus' interpretatur scholiasta. — 20, 13 *notior*] cf. Buecheler l. c. p. 239.

Carminum lib. III. — 4, 4 *citharave* codd. Kelleri. — 4, 10 *limen Apuliae* alii. — 4, 38 *abdidit*] cf. Dillenburger in 'Zeitschr. f. d. Gymnasial-Wesen' XXXV (1881), p. 329. — 5, 10 *et* ante *nominis* codd. multi et boni omittunt. — 5, 15 *trahenti* Canter, *trahentis* codd. — 6, 9 *Monaeses* alii, quod propter verba sequentia *adiecisse praedam torquibus exiguis renidet* minus placet. — 7, 15 *Bellerophontae* codd. secutus recepi; item L. Muellero suadente (edit. II, p. XXXVII) C. IV, 11, 28 *Bellerophonten* scripsi.

— 8, 26 *cavere et* codd. plerique. — 12, 11 *arto*] *alto* codd. plerique. — 14, 11 *non* Bentley, *iam* codd.; *male inominatis* Bentley, *male nominatis* codd. plerique. Cf. etiam Th. Fritzsche, Philol. XXXV, p. 489. — 14, 14 *eximet*] cf. Ep. I, 5, 18.—17, 5 *ducit* Heinsius, *ducis* codd. — 20, 8 *illa* Peerlkamp, *illi* codd. — 21, 10 *negleget* codd. haud pauci. — 24, 60 *hospites* codd. multi. — 25, 9 *ex somnis* editio Hauptiana quarta, *Edonis* Bentley. — 26, 1 *duellis* Franke dubitans; cf. Dillenburger l. c. p. 333. — 27, 60 *elidere*] *laedere* codd. noti.

Carminum lib. IV. — 1, 22 *lyraeque* et rel.] cf. Dillenburger l. c. p. 335. — 2, 2 *ille* Peerlkamp, *iule* codd.; cf. C. II, 13, 1—2. — 2, 49 *teque* codd. plerique. — 4, 17—18 *Raeti . . . Vindelici*] cf. IV, 1, 9 sqq. *Pauli . . . . Maximi*; alii *Raetis* scripserunt. — 4, 36 *dedecorant* alii. — 4, 73 *perficient* codd. optimi et Porph., *perficiunt* Blandinius antiquissimus. Futurum tempus multo aptius esse puto hoc loco quam praesens. Desideratur enim vox Hannibalis quasi praesagientis ac divinantis id, quod sub Augusto factum celebravit Horatius. — 8, 15 *celeris fuga* Kelleri codd. optimi. — 8, 33 del. Lachmann alii, tamquam petitum ex Carm. III, 25, 20. At nihil sollemnius Horatio quam verborum, sententiarum, versuum etiam integrorum repetitio. Cf. *iocosa . . . imago* C. I, 12, 3—4 et I, 20, 6—8; *rates quassas* I, 1, 17—18, *quassas . . . rates* IV, 8, 32; *memores . . . fastos* III, 17, 4 et IV, 14, 4; *marinae . . . Veneris* III, 26, 5, *Veneris marinae* IV, 11, 15; *profugi Scythae* I, 35, 9, *profugus Scythes* IV, 14, 42; *amata nautis multum et institoribus* Epod. 17, 20, *seu vocat institor seu navis Hispanae magister* III, 6, 30—31; *mater saeva Cupidinum* I, 19, 1 et IV, 1, 5. — 10, 5 *Ligurinum*] cf. Dillenburger l. c. p. 337. — 14, 4 *fastus* codd. optimi; cf. Neue I², p. 525.

Epodon liber. — 1, 5 *si*] *sit* alii. — I, 34 *nepos*] *ut nepos* alii; cf. Ep. I, 10, 5 et Fritzsche ad S. I, 1, 101. — 2, 13 *inutilesve* Bentley, *inutilesque* codd. — 4, 8 *bis trium* edd., *bis ter* codd. et scholia. — 5, 15 *inplicata* alii; sed *inligata* etiam Porphyrionem legisse scholion demonstrat. Cf. C. IV, 11, 5. — 5, 87 *maga non* Haupt, *magnum* codd. — 7, 12 *numquam* Bentley, *umquam* codd. — 10, 22 *iuverit* codd. plerique. — 15, 15 *offensi* Gogavius, *offensae* codd. — 16, 15 *quod*] *quid* codd. plerique. — 16, 33 *ravos*] *flavos* alii. — 16, 41. Porphyrion: ordo est ‘Oceanus circum arva beata vagus’. Cf. C. II, 16, 33 sq. *te greges centum Siculaeque circum mugiunt vaccae*, S. II, 4, 84 *et Tyrias dare circum inlota toralia vestes*, S. I, 5, 51 *quae super est Caudi cauponas*. — 16, 61—62 delevi cum aliis. — 17, 42 *vice* Kelleri codices. — 17, 62 *si*] *sed* alii. Locum cum Porphyrione sic explico: ‘Quid tibi prodest, Horati, magno pretio emisse a Paelignis mulieribus venena, quae te cito liberent, si tamen non plus valent meis, quibus vitam tuam longius producam quam ipse optas’. Ne-

que video qua ratione versus 60—61 intellegi possint de venenis a Canidia mixtis, cum obpositum sit *velocius* ei, quod sequitur *tardiora*; repugnant etiam versus 63—81. — 17, 72 *nectes* alii. Non debet in conparationem adferri illud *nectis catenas* C. I, 29, 5; ibi enim agitur de catenis parandis, hoc vero loco de ipso suspendio.

Sermonum liber I. — 1, 81 *adflixit* codd. longe plurimi. — 1, 108 *nemon ut* codd. plerique; alii alia coniecerunt. — 2, 13. Hunc versum nonnulli ut spurium secludunt. Quos sequi et hic et aliis locis similibus nolui, cum quaestio de repetitis apud Horatium versibus adhuc dubia pendeat. Ceterum Horatio repetitiones tales fuisse usitatas et alii observaverunt (cf. Dillenburger ad Ep. I, 1, 56) et nos in adnotatione ad C. IV, 8, 33 exemplis demonstravimus. — 2, 44 *permixerunt* libri optimi, Holder; item 3, 90 commixit; cf. Neue II², p. 494. — 2, 63 *peccesve* codd. plerique. — 3, 27 *ac* codd. optimi, *at* alii; cf. v. 43 et S. I. 10, 31. — 3, 95 *fide* codd. plerique, at C. III, 7, 4 *fidei*; cf. Neue I², p. 377—79. — 4, 101 sqq. Scribendum puto:

quod vitium procul afore chartis
atque animo, prorsus, si quid promittere de me
possum aliud, vere promitto.

Cf. S. I, 5, 70 *prorsus iucunde cenam producimus illam.* Nimirum *prſuſ* facile transire potuit in *pri'ut.* — 6, 68 *aut* Porph., Bentley; *ac* vel *nec* codd. — 6, 102 *rusve peregre aut* codd. paene omnes, quibus consentit Porph.: 'ordo est: rusve aut peregre exirem'. — 6, 126. 'Cod. Bland. antiquissimus habet *fugio campum lusumque trigonem*, sed supposita sunt puncta, vulgataque lectio est adnotata' Cruquius. Vehementer dolendum est eum non indicasse id quod maxime intererat scire, utrum correctura a prima an a secunda manu profecta fuisset. Cod. Gothanus alter eadem praebet verba (nam *lusitque* non est nisi levissimus librarii error); reliqui vero omnes cum scholiastis legunt *fugio rabiosi tempora signi.* Praetuli interim cod. Blandinii lectionem, quamquam ne Mewesius quidem, qui nuper de hoc loco disputavit (Über den Wert des Codex Blandinius vetustissimus für die Kritik des Horaz, Berlin 1882, p. 19—24) rem ita executus est, ut iam dubitatio omnis sit remota. — 8, 32 *utque* alii. — 8, 41 *resonarint*] cf. Neue II², p. 478. — 9, 16 *prosequar* alii; cf. Dillenburger l. c. p. 344.

Sermonum liber II. — 1, 15 *describat* alii. — 1, 65 *aut qui* alii. — 2, 29 sq. Secutus sum Porphyrionem et Holderum; cf. Ep. I, 1, 80 sqq.:

verum
esto aliis alios rebus studiisque teneri:
idem eadem possunt horam durare probantes?

2, 53 *distabat* codd. recte; Horati enim verba sunt quae usque ad v. 115

leguntur. Totam huius satirae indolem ac rationem bene perspexit et explicavit Schuetz p. 140 sq. — 2, 56 *dictum* codd. plerique. — 3, 62 *vulgum* codd. optimi; cf. Neue I², p. 653. — 3, 140 *Electran*] cf. Neue I², p. 54. — 3, 170 *haec*] *hoc* Holderi codd., quod ferri non potest. — 3, 191 *deducere* Porph., Bentley; *reducere* codd. — 3, 201 *cursum* Holder *quorsum* codd. — 3, 208 *veri* alii, non recte. — 3, 303 *abscissum manibus*] *abscisum demens* Holderi codd. paene omnes. — 4, 19 *musto* Bentley, *mixto* codd. —

Epistularum lib. I. — 2, 38 *oculos* codd. antiquissimi, *oculum* alii., — 2, 41 *vivendi qui recte* codd. longe plurimi, sed repugnat Porph. — 6, 7. Varie interpungunt h. l. Illud vero valde dubito, num margaritae recte dici possint 'maris ludicra', cum adiectivum 'ludicer' proprie ad ludos remque scaenicam pertineat. — 6, 10 *utrubique* codd. optimi AER apud Kellerum. Ita et Ciceronis cod. rescriptus Vaticanus (de rep. III, 35, 48) et Cassiani cod. Augustodunensis saec. VII exhibent. — 6, 63 et 7, 40 *Ulixei* codd. antiquissimi et optimi; cf. Neue I², p. 331. — 7, 96—99. Versus male adsutos sensuque claudicantes delevi; etiam Serm. II, 6 fabella conclusum a poeta videmus. Cf. praeterea Carm. I, 7. 15. III, 11. 27. 29. IV, 4. Epod. 12. 13. Adde quod initium v. 96 *qui simul aspexit* (ita codd.) petitum videtur e v. 90. — 11, 7—10. Non recte editores nonnulli hos versus Bullatio tribuunt; nam in epistula talem dialogum omnino locum habere non posse cum Lehrsio et Teuffelio contendo. Male Keller Epileg. p. 644 in conparationem adtulit Ep. I, 16, 41 sqq. Illa enim ὑποφορὰ toto caelo distat ab eo, quod hoc loco volunt statuere. — 12, 29 *defudit*] *defundit* alii. — 13, 2 *Vinni* recepi e codd. optimis, consentiente Porphyrione: *Vini* alii. — 15, 37 *corrector* Lambinus, *correctus* vel *correptus* codd. — 16, 5 sqq. Cf. Keller, Epileg. p. 660 sqq. — 16, 45 *introrsus* alii; cf. S. II, 1, 65. — 17, 30 *angue* codd. optimi; cf. Neue I², p. 218. — 17, 49 sic recte distinxit Porph. — 18, 18 post *elatrem* alii interrogationis signum ponunt; sed cf. Porph. — 18, 91. Deest hic versus in multis exemplaribus antiquis, unde Keller eum omisit. Sed quomodo quaeso hoc deleto intellegendum erit illud quod sequitur *oderunt?* Alii cum Meinekio verba *bibuli . . . . oderunt* extrudunt. — 19, 15 *Iarbuthan* sec. Porphyrionem scripsi; *iarbytham*, *iarbucham*, similia codd.; cf. *Iarban* Verg. Aen. IV, 196. Apud Corippum infimae Latinitatis scriptorem accusativus singularis nominum Maurorum constanter in 'an' desinit; cf. Ioh. IV, 360 Antalan, IV, 937 Arcan . . . Ialdan, IV, 972 Antifan, VII, 430 Asan, VII, 435 Altisan, VIII, 419 Altifatan al. — 20, 28 *dixit* Doering, *duxit* codd. —

Epistularum lib. II. — 1, 40 post *anno* interrogationis signum posuit H. I. Mueller. — I, 102 sq. Fortasse ita interpungendum:

hoc paces habuere bonae ventique secundi
Romae:

1, 198. *mimo* intellegendum de ludo scaenico, non de histrione; cf. Porph.: 'non tam ludis scaenicis delectaretur quam ipsius populi vanitate, in qua omni mimo et suavius et maius sibi spectaculum repperiret'. — 2, 96 *qua re* ed. Hauptiana IV.; *quare* vulgo. — 2, 167 *quoniam* codd. plerique. — 2, 199. Neque *domus*, quod est in codd. optimis, neque *domu* aut *domo* sententiae satisfacit; *modo* probabiliter coni. Gesner. — 3, 48 sqq. Malim interpungere:

si forte necesse est
indiciis monstrare recentibus abdita rerum et
fingere cinctutis non exaudita Cethegis,
continget dabiturque licentia sumpta pudenter
et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadent parce detorta.

3, 65 *palus diu* Gesner. — 3, 197 *pacare tumentis* alii.. — 3, 214 *luxuriem* codd. haud pauci; sed haec forma apud Horatium non legitur. — 3, 294 *praesectum* codd. optimi, *perfectum* alii.

In schematis metrorum atque exemplis describendis disponendisque hoc potissimum consilio ductus sum, ut tironibus ea tantummodo praeberem, quae ad singulorum quorumque versuum et systematum rationem noscendam atque dispiciendam prorsus sunt necessaria. Cetera enim, quae ad subtiliorem rei metricae scientiam pertinent, praeceptor ipse, si opus fuerit, aptius et maiore cum fructu adiciet quam fieri potest summario finibus certis iisque angustis circumscripto. Nec multos puto fore dumtaxat inter nostrates, qui uberiorem rei metricae doctrinam desiderent. Nam cum gymnasiorum Austriacorum alumni non nisi per semenstre tempus lectioni Horatianae studeant, disciplinam illam obiter tantum adtingi atque quam celerrime adripi necesse est.

Chronologiae Horatianae, qualem Frankius constituit, nihil habui quod adderem nisi Epistularum libri secundi annos. Nam quae Christius disputavit egregio libello Monaci 1877 edito qui inscribitur 'Fastorum Horatianorum epicrisis', docens Carminum libros priores tres vicesimo demum a. Chr. anno vel undevicesimo fuisse editos, ea brevibus quibusdam lineis adumbrata potius quam omnibus numeris absoluta esse videntur. Ergo si volumus fundamentis a Christio positis inniti, in annos carminum omnium, quae illis libris continentur, necesse est denuo inquiratur. Quod ne facerem et temporis angustiae prohibebant et aliae curae, si non gratiores, certe graviores.

Scribebam Graecii a. d. XV Kal. Octobr. a. 1882.

M. P.

METRA IAMBICA ET MELICA.

A. VERSUS SIMPLICES.

I. Versus iambici. 1. Dimeter acatalectus:

⏒ ⏕ ⏑ ⏕, ⏒ — ⏑ ⏓

Epod. 1, 2 amice propugnacula
— 15, 24 ast ego vicissim risero
— 2, 62 videre properantes domum

2. Trimeter catalecticus:

⏒ — ⏑ ⏖, ⏒ ‖ — ⏑ —, ⏑ — ⏒

I, 4, 2 trahuntque siccas ‖ machinae carinas
II, 18, 34 regumque pueris ‖ nec satelles Orci

3. Trimeter acatalectus:

(⏑⏑) (⏑⏑)
⏒ ⏖ ⏑ ⏖, ⏒ ‖ ⏖ ⏑ ⏖, ⏒ — ⏑ ⏓

Epod. 1, 1 ibis Liburnis ‖ inter alta navium
— 2, 65 positosque vernas ‖ ditis examen domus
— 1, 27 pecusve Calabris ‖ ante sidus fervidum
— 2, 39 quodsi pudica ‖ mulier in partem iuvet
— 2, 35 pavidumque leporem et ‖ advenam laqueo gruem

Epod. 17.

II. Versus trochaici. 1. Dimeter catalecticus:

— ⏑ — ⏑, — ⏑ ⏓

II, 18, 17 tu secanda marmora

2. Dimeter acatalectus cum anacrusi (Alcaicus enneasyllabus):

⏒ — ⏑ — —, — ⏑ — ⏒

I, 35, 15 ad arma cessantes ad arma

III. Versus dactylici. 1. Dimeter catalecticus in duas syllabas (Adonius):

— ◡◡ — ⏑

I, 10, 16 castra fefellit
I, 10, 8 condere furto

2. Trimeter catalecticus in syllabam (Archilochius minor):

— ◡◡ ´— ◡◡ ⏓

IV, 7, 2 arboribusque comae

3. Tetrameter catalecticus in duas syllabas (metrum Archilochium):

— ⏖ — ⏖ — ⏖ — ⏑

I, 7, 2 aut Epheson bimarisve Corinthi
I, 7, 4 insignes aut Thessala Tempe
I, 28, 2 mensorem cohibent, Archyta

4. Hexameter catalecticus in duas syllabas:

— ⏖ — ⏖ — ‖ ⏖ — ⏖ — ◡◡ — ⏑

I, 7, 7 undique decerptam ‖ fronti praeponere olivam

IV. Ionici a minore. 1. Dimeter:

◡◡ — —, ◡◡ — —

III, 12, 3 patruae verbera linguae

2. Tetrameter:

◡◡ — —, ◡◡ — —, ◡◡ — —, ◡◡ — —

III, 12, 1 miserarum est neque amori dare ludum neque dulci.

B. VERSUS CONPOSITI.

I. Versus logaoedici. Conponuntur dactylis et trochaeis; nonnumquam praeit basis spondaica (— —) vel anacrusis (⏑).

1. V. Pherecrateus; constat e basi spondaica et colo logaoedico:

— —, — ◡◡ — ⏑

I, 21, 3 Latonamque supremo

2. V. Glyconeus; basim spondaicam sequitur colon logaoedicum:

— —, — ◡◡ — ◡ ⏓

I, 21, 4 dilectam penitus Iovi

3. V. **Aristophanius**; constat e dactylo et monometro trochaico:

— ◡◡ — ◡ — ⏒

I, 8, 1 Lydia, dic, per omnes

4. V. **Alcaicus decasyllabus**; est dimeter dactylicus cum monometro trochaico:

— ◡◡ — ◡◡ — ◡ — ⏒

I, 9, 4 flumina constiterint acuto

5. V. **Alcaicus hendecasyllabus**; anacrusim sequuntur monometer trochaicus et colon logaoedicum:

⏒ — ◡ — — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓

III. 5, 21 derepta vidi ‖ ; vidi ego civium

6. V. **Sapphicus minor**; est monometer trochaicus cum colo logaoedico:

— ◡ — —, — ‖ ◡◡ — ◡ — ⏒

I, 2, 1 iam satis terris ‖ nivis atque dirae

II. Alii versus conpositi. 1. V. **Asclepiadeus minor**; constat e basi spondaica et monometro choriambico et colo logaoedico:

— —, — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓

I, 1, 1 Maecenas atavis ‖ edite regibus

2. V. **Asclepiadeus maior**; basim sequuntur duo choriambi et colon logaoedicum:

— —, — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓

I, 11, 4 seu plures hiemes ‖ seu tribuit ‖ Iuppiter ultimam

3. V. **Sapphicus maior**; constat e monometro trochaico et choriambo et colo logaoedico:

— ◡ — —, — ‖ ◡◡ —, — ◡◡ — ◡ —, ⏒

I, 8, 4 oderit campum ‖ patiens pulveris atque solis

4. **Iambelegus**; constat e dimetro iambico et trimetro dactylico catalectico in syllabam:

⏒ — ◡ —, ⏒ — ◡ ⏓ ‖ — ◡◡ — ◡◡ ⏓

Epod. 13, 6 tu vina Torquato move ‖ consule pressa meo

5. **Elegiambus**; inverso ordine eadem cola habet quae iambelegus:

— ◡◡ — ◡◡ ⏓ ‖ ⏒ — ◡ —, ⏒ — ◡ ⏓

Epod. 11, 2 scribere versiculos ‖ amore percussum gravi

6. V. **Archilochius maior**; constat e tetrametro dactylico et tripodia trochaica:

— ⏔ — ⏔ — ‖ ⏔ — ◡◡, — ◡ — ◡ — ⏒

I, 4, 1 solvitur acris hiemps ‖ grata vice veris et Favoni.

C. SYSTEMATA (STROPHAE).

I. Disticha. 1. Systema Alcmanium; constat hexametro dactylico et metro Archilochio:

— ⏕ — ⏕ — ‖ ⏕ — ⏕ — ◡◡ — ⏓
— ⏕ — ⏕ — ⏕ — ⏓

o ego non felix ‖, quam tu fugis ut pavet acres
agna lupos capreaeque leones

Epod. 12.

2. Systema Archilochium secundum; constat hexametro iambelego;

— ⏕ — ⏕ — ‖ ⏕ — ⏕ — ◡◡ — ⏓
⏓ — ◡ —, ⏓ — ◡ ⏒ ‖ — ◡◡ — ◡◡ ⏒

horrida tempestas ‖ caelum contraxit, et imbres
nivesque deducunt Iovem ‖; nunc mare, nunc siluae

Epod. 13.

3. Systema Archilochium tertium; constat e trimetro iambico et elegiambo:

(◡◡) (◡◡)
⏓ ⏖ ◡ —, ⏓ ‖ — ◡ —, ⏓ — ◡ ⏒
— ◡◡ — ◡◡ — ‖ ⏓ — ◡ —, ⏓ — ◡ ⏒

Petti, nihil me ‖ sicut antea iuvat
scribere versiculos ‖ amore percussum gravi

Epod. 11.

4. Systema iambicum; constat e trimetro et dimetro iambico:

(◡◡) (◡◡)
⏓ ⏖ ◡ ⏖, ⏓ ‖ ⏖ ◡ ⏖, ⏓ — ◡ ⏒
⏓ ⏖ ◡ ⏖, ⏓ — ◡ ⏒

ibis Liburnis ‖ inter alta navium,
amice, propugnacula

Epod. 1—10.

5. Systema pythiambicum minus; constat hexametro dactylico et dimetro iambico:

— ⏕ — ⏕ — ‖ ⏕ — ⏕ — ◡◡ — ⏓
⏓ — ◡ —, ⏓ — ◡ ⏒

nox erat et caelo ‖ fulgebat luna sereno
inter minora sidera

Epod. 14. 15.

6. **Systema pythiambicum maius**; constat hexametro dactylico et trimetro iambico puro:

— ⏔ — ⏔ — ‖ ⏔ — ⏔ — ⏑⏑ — ⏒
⏑ — ⏑ —, ⏑ ‖ — ⏑ —, ⏑ — ⏑ ⏓

altera iam teritur ‖ bellis civilibus aetas,
suis et ipsa ‖ Roma viribus ruit

Epod. 16.

II. Tristicha. **Systema ionicum a minore**; constat tetrametro bis repetito et dimetro:

⏑⏑ — —, ⏑⏑ — —, ⏑⏑ — —, ⏑⏑ — —
⏑⏑ — —, ⏑⏑ — —, ⏑⏑ — —, ⏑⏑ — —
⏑⏑ — —, ⏑⏑ — —

miserarum est neque amori dare ludum neque dulci
mala vino lavere aut exanimari metuentes
patruae verbera linguae

Carm. III, 12.

III. Tetrasticha. 1. **Systema Asclepiadeum primum**; constat versu Asclepiadeo minore quater repetito:

— —, — ⏑⏑ — ‖ — ⏑⏑ — ⏑ ⏓
— —, — ⏑⏑ — ‖ — ⏑⏑ — ⏑ ⏓
— —, — ⏑⏑ — ‖ — ⏑⏑ — ⏑ ⏓
— —, — ⏑⏑ — ‖ — ⏑⏑ — ⏑ ⏓

Maecenas atavis ‖ edite regibus,
o et praesidium et ‖ dulce decus meum:
sunt quos curriculo ‖ pulverem Olympicum
collegisse iuvat ‖ metaque fervidis

Carm. I, 1. III, 30. (IV, 8 ?)

2. **Systema Asclepiadeum secundum**; constat Asclepiadeo minore ter repetito et Glyconeo:

— —, — ⏑⏑ — ‖ — ⏑⏑ — ⏑ ⏓
— —, — ⏑⏑ — ‖ — ⏑⏑ — ⏑ ⏓
— —, — ⏑⏑ — ‖ — ⏑⏑ — ⏑ ⏓
— —, — ⏑⏑ — ⏑ ⏓

scriberis Vario ‖ fortis et hostium
victor Maeonii ‖ carminis alite,
quam rem cumque ferox ‖ navibus aut equis
miles te duce gesserit

Carm. I, 6. 15. 24. 33. II, 12. III, 10. 16. IV, 5. 12.

3. **Systema Asclepiadeum tertium**; constat Glyconeo et Asclepiadeo minore:

— —, — ◡◡ — ◡ ⏓
— —, — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓
— —, — ◡◡ — ◡ ⏓
— —, — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓

sic te diva potens Cypri,
  sic fratres Helenae ‖ , lucida sidera,
ventorumque regat pater,
  obstrictis aliis ‖ praeter Iapyga

Carm. I, 3. 13. 19. 36. III, 9. 15. 19. 24. 25. 28. IV, 1. 3.

4. **Systema Asclepiadeum quartum**; constat Asclepiadeo minore bis repetito, Pherecrateo, Glyconeo:

— —, — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓
— —, — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓
— —, — ◡◡ — ⏒
— —, — ◡◡ — ◡ ⏓

Dianam tenerae ‖ dicite virgines,
intonsum, pueri ‖ , dicite Cynthium
  Latonamque supremo
    dilectam penitus Iovi

Carm. I, 5. 14. 21. 23. III, 7. 13. IV, 13.

5. **Systema Asclepiadeum quintum**; constat Asclepiadeo maiore quater repetito:

— —, — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓
— —, — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓
— —, — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓
— —, — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓

nullam, Vare, sacra ‖ vite prius ‖ severis arborem
circa mite solum ‖ Tiburis et ‖ moenia Catili:
siccis omnia nam ‖ dura deus ‖ proposuit, neque
mordaces aliter ‖ diffugiunt ‖ sollicitudines

Carm. I, 11. 18. IV, 10.

6. **Systema Sapphicum minus**; constat e tribus Sapphicis minoribus et Adonio:

— ◡ — —, — ‖ ◡◡ — ◡ — ⏒
— ◡ — —, — ‖ ◡◡ — ◡ — ⏒
— ◡ — —, — ‖ ◡◡ — ◡ — ⏒
— ◡◡ — ⏒

iam satis terris ‖ nivis atque dirae
grandinis misit ‖ pater et rubente
dextera sacras ‖ iaculatus arces
terruit urbem

Carm. I, 2. 10. 12. 20. 22. 25. 30. 32. 38. II, 2. 4. 6. 8. 10. 16. III, 8. 11. 14. 18. 20. 22. 27. IV, 2. 6. 11. Carmen saeculare.

7. Systema Sapphicum maius; constat ex Aristophanio et Sapphico maiore:

— ◡◡ — ◡ — ⏒
— ◡ — —, — ‖ ◡◡ —, — ◡◡ — ◡ — ⏒
— ◡◡ — ◡ — ⏒
— ◡ — —, — ‖ ◡◡ —, — ◡◡ — ◡ — ⏒

Lydia, dic, per omnes
te deos oro ‖, Sybarin cur properes amando
perdere, cur apricum
oderit campum ‖, patiens pulveris atque solis

Carm. I, 8.

8. Systema Alcaicum; constat ex Alcaico hendecasyllabo bis repetito, Alcaico enneasyllabo, Alcaico decasyllabo:

⏒ — ◡ — — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓
⏒ — ◡ — — ‖ — ◡◡ — ◡ ⏓
⏒ — ◡ — —, — ◡ — ⏒
— ◡◡ — ◡◡ — ◡ — ⏒

vides ut alta ‖ stet nive candidum
Soracte nec iam ‖ sustineant onus
silvae laborantes geluque
flumina constiterint acuto

Carm. I, 9. 16. 17. 26. 27. 29. 31. 34. 35. 37. II, 1. 3. 5. 7. 9. 11. 13. 14. 15. 17. 19. 20. III, 1—6. 17. 21. 23. 26. 29. IV, 4. 9. 14. 15.

9. Systema Hipponacteum; constat e dimetro trochaico catalectico et trimetro iambico catalectico:

— ◡ — ◡, — ◡ ⏓
⏒ — ◡ —, ⏒ ‖ — ◡ —, ◡ — ⏒
— ◡ — ◡, — ◡ ⏓
⏒ — ◡ —, ⏒ ‖ — ◡ —, ◡ — ⏒

non ebur neque aureum
mea renidet ‖ in domo lacunar,
non trabes Hymettiae
premunt columnas ‖ ultima recisas

Carm. II, 18.

10. **Systema Archilochium primum**; constat hexametro et trimetro dactylico catalectico in syllabam:

— ⏔ — ⏔ — ‖ ⏔ — ⏔ — ⏑⏑ — ⏒
— ⏑⏑ — ⏑⏑ ⏓
— ⏔ — ⏔ — ‖ ⏔ — ⏔ — ⏑⏑ — ⏒
— ⏑⏑ — ⏑⏑ ⏓

diffugere nives ‖ , redeunt iam gramina campis
arboribusque comae;
mutat terra vices ‖ , et decrescentia ripis
flumina praetereunt

Carm. IV, 7.

11. **Systema Archilochium quartum**; constat ex Archilochio maiore et trimetro iambico catalectico:

— ⏔ — ⏔ — ‖ ⏔ — ⏑⏑, — ⏑ — ⏑ — ⏒
⏒ — ⏑ —, ⏒ ‖ — ⏑ —, ⏑ — ⏒
— ⏔ — ⏔ — ‖ ⏔ — ⏑⏑, — ⏑ — ⏑ — ⏒
⏒ — ⏑ —, ⏒ ‖ — ⏑ —, ⏑ — ⏒

solvitur acris hiemps ‖ grata vice veris et Favoni,
trahuntque siccas ‖ machinae carinas,
ac neque iam stabulis ‖ gaudet pecus aut arator igni,
nec prata canis ‖ albicant pruinis

Carm. I, 4.

12. **Systema Alcmanium**: vide sub 'Disticha 1.'

laudabunt alii ‖ claram Rhodon aut Mytilenen,
aut Epheson bimarisve Corinthi
moenia, vel Baccho ‖ Thebas vel Apolline Delphos
insignes, aut Thessala Tempe

Carm. I, 7. 28.

Tabula chronologica Horatiana.

Anni u. c.	Anni a. Chr.	Anni Hor. aetat.	Sat. I.	Sat. II.	Epod.
713	41	24			16. Altera iam teritur.
714	40	25	2. Ambubaiarum.		8. Rogare long
715	39	26	3. Omnibus hoc vit.		
716	38	27	4. Eupolis atque Cratinus.		4. Lupis et agni
717	37	28	5. Egressum magna. 6. Non quia Maecenas.		5. At o deorun
718	36	29	7. Proscripti Regis. 8. Olim truncus.		
719	35	30	9. Ibam forte via. 10. Lucili quam sis. 1. Qui fit Maecenas.	2. Quae virtus.	12. Quid tibi vis. (?) 3. Parentis olir
720	34	31			
721	33	32		3. Sic raro scribis.	11. Petti nihil me. (?) 14 Moll
722	32	33		4. Unde et quo Catius. 5. Hoc quoque Tiresia.	7. Quo quo scelesti. ine: tia
723	31	34		6. Hoc erat in votis.	1. Ibis Liburnis. 9. Quando repostum.
724	30	35		7. Iam dudum ausculto. 8. Ut Nasidieni. 1. Sunt quibus.	2. Beatus ille. 17. Iamiam efficaci.
725	29	36			

Anni			Carm. I.	Carm. II.	Carm. III.
u. c.	a. Chr.	Hor. aetat.			
724	30	35	37. Nunc est bibendum.	7. O saepe mecum. (?)	
725	29	36	2. Iam satis terris. 16. O matre pulchra 14. O navis referent.	1. Motum ex Metello. 12. Nolis longa ferae.	24. Intactis opulentior.
726	28	37	21. Dianam tenerae. 31. Quid dedicatum.	15. Iam pauca aratro. 16. Otium divos. (?) 18 Non ebur.	1. Odi profanum. 2. Angustam amice. 25. Quo me Bacche. 6. Delicta maior.
727	27	38	29. Icci beatis. 35. O diva gratum.		3. Iustum et tenacem.
728	26	39		13. Ille et nefasto. 17. Cur me querellis.	4. Descende caelo. 5. Caelo tonantem.
729	25	40	19. Mater saeva Cupidin. 12. Quem virum a. h. 26. Musis amicus. 34. Parcus deorum. 30. O Venus regina.	11. Quid bellicosus. 4. Ne sit ancillae. 9. Non semper imbres.	8. Martiis caelebs. 29. Tyrrhena regum. 14. Herculis ritu. 19. Quantum distet ab Inacho.
730	24	41	20. Vile potabis. 24. Quis desiderio. 36. Et ture et fidibus.	2. Nullus argento.	
731	23	42	1. Maecenas atavis.		30. Exegi monumentum.

Anni u. c.	a. Chr.	Hor. aetat.	Epistular. I.	Carm. IV.	Epist. II.
730	24	41	13. Ut proficiscentem.		
731	23	42	7. Quinque dies. (?) 2. Troiani belli scr. 731—734.		
734	20	45	9. Septimius Claudi. 3. Iuli Flore. 8. Celso gaudere. 5. Si potes Arch. 12. Fructibus Agrippae. 18. Si bene te novi. 19. Prisco si credis. 20. Vertumnum Ianumque. 1. Prima dicte mihi.		
737	17	48		3. Quem tu Melpom. (?) 6. Dive quem proles. Carmen saeculare.	
738	16	49		9. Ne forte credas. (?) 11. Est mihi nonum.	1. Cum tot sustineas. (Post a. 737)
739	15	50		1. Intermissa Venus. 10. O crudelis adhuc. (?) 2. Pindarum quisquis. 4. Qualem ministrum.	
740	14	51		5. Divis orte bonis.	
741	13	52		14. Quae cura patrum. 15. Phoebus volentem.	
743	11	54			2. Flore bono. (?)
744	10	55			3. Humano capiti. (744—746)
745	9	56			
746	8	57			

CARMINUM

LIBER PRIMUS.

I.

Maecenas atavis edite regibus,
o et praesidium et dulce decus meum:
sunt quos curriculo pulverem Olympicum
collegisse iuvat, metaque fervidis

evitata rotis palmaque nobilis
terrarum dominos evehit ad deos;
hunc, si mobilium turba Quiritium
certat tergeminis tollere honoribus;

illum, si proprio condidit horreo,
quidquid de Libycis verritur areis.
gaudentem patrios findere sarculo
agros Attalicis condicionibus

numquam demoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
luctantem Icariis fluctibus Africum
mercator metuens otium et oppidi

laudat rura sui: mox reficit rates
quassas, indocilis pauperiem pati.
est qui nec veteris pocula Massici
nec partem solido demere de die

spernit, nunc viridi membra sub arbuto
stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
multos castra iuvant et lituo tubae
permixtus sonitus bellaque matribus

detestata. manet sub Iove frigido
venator tenerae coniugis inmemor,
seu visa est catulis cerva fidelibus,
seu rupit teretes Marsus aper plagas.

me doctarum hederae praemia frontium
dis miscent superis, me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
secernunt populo, si neque tibias

Euterpe cohibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
quodsi me lyricis vatibus inseres,
sublimi feriam sidera vertice.

II.

Iam satis terris nivis atque dirae
grandinis misit pater et rubente
dextera sacras iaculatus arces
terruit urbem,

terruit gentes, grave ne rediret
saeculum Pyrrhae nova monstra questae,
omne cum Proteus pecus egit altos
visere montes,

piscium et summa genus haesit ulmo,
nota quae sedes fuerat columbis,
et superiecto pavidae natarunt
aequore dammae.

vidimus flavum Tiberim retortis
litore Etrusco violenter undis
ire deiectum monumenta regis
templaque Vestae,

Iliae dum se nimium querenti
iactat ultorem, vagus et sinistra
labitur ripa Iove non probante u-
xorius amnis.

audiet cives acuisse ferrum,
quo graves Persae melius perirent,
audiet pugnas vitio parentum
rara iuventus.

quem vocet divum populus ruentis
imperi rebus? prece qua fatigent
virgines sanctae minus audientem
carmina Vestam?

cui dabit partes scelus expiandi
Iuppiter? tandem venias, precamur,
nube candentes umeros amictus,
augur Apollo;

sive tu mavis, Erycina ridens,
quam Iocus circum volat et Cupido;
sive neglectum genus et nepotes
respicis, auctor

heu nimis longo satiate ludo,
quem iuvat clamor galeaeque leves,
acer et Mauri peditis cruentum
voltus in hostem;

sive mutata iuvenem figura
ales in terris imitaris, almae
filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor,

serus in caelum redeas diuque
laetus intersis populo Quirini,
neve te nostris vitiis iniquum
ocior aura

tollat. hic magnos potius triumphos,
hic ames dici pater atque princeps,
neu sinas Medos equitare inultos
te duce, Caesar.

III.

Sic te diva potens Cypri,
sic fratres Helenae, lucida sidera,
ventorumque regat pater
obstrictis aliis praeter Iapyga,

navis, quae tibi creditum
debes Vergilium, finibus Atticis
reddas incolumem precor,
et serves animae dimidium meae.

illi robur et aes triplex
circa pectus erat, qui fragilem truci
conmisit pelago ratem
primus, nec timuit praecipitem Africum

decertantem Aquilonibus,
nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti,
quo non arbiter Hadriae
maior, tollere seu ponere volt freta.

quem mortis timuit gradum,
qui siccis oculis monstra natantia,
qui vidit mare turbidum et
infames scopulos Acroceraunia?

nequiquam deus abscidit
prudens Oceano dissociabili
terras, si tamen inpiae
non tangenda rates transiliunt vada.

audax omnia perpeti
gens humana ruit per vetitum nefas:
audax Iapeti genus
ignem fraude mala gentibus intulit.

post ignem aetheria domo
subductum macies et nova febrium
terris incubuit cohors,
semotique prius tarda necessitas

leti corripuit gradum.
expertus vacuum Daedalus aëra
pennis non homini datis;
perrupit Acheronta Herculeus labor.

nil mortalibus ardui est:
caelum ipsum petimus stultitia, neque
per nostrum patimur scelus
iracunda Iovem ponere fulmina.

IV.

Solvitur acris hiemps grata vice veris et Favoni,
trahuntque siccas machinae carinas,
ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni,
nec prata canis albicant pruinis.

iam Cytherea choros ducit Venus inminente luna,
iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Volcanus ardens urit officinas.

nunc decet aut viridi nitidum caput inpedire myrto,
aut flore, terrae quem ferunt solutae;
nunc et in umbrosis Fauno decet inmolare lucis,
seu poscat agna sive malit haedo.

pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
regumque turres. o beate Sesti,
vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
iam te premet nox fabulaeque Manes

et domus exilis Plutonia: quo simul mearis,
nec regna vini sortiere talis,
nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
nunc omnis et mox virgines tepebunt.

V.

Quis multa gracilis te puer in rosa
perfusus liquidis urguet odoribus
grato, Pyrrha, sub antro?
cui flavam religas comam,

simplex munditiis? heu quotiens fidem
mutatosque deos flebit et aspera
nigris aequora ventis
emirabitur insolens,

qui nunc te fruitur credulus aurea,
qui semper vacuam, semper amabilem
sperat, nescius aurae
fallacis. miseri, quibus

intemptata nites: me tabula sacer
votiva paries indicat uvida
suspendisse potenti
vestimenta maris deo.

VI.

Scriberis Vario fortis et hostium
victor Maeonii carminis alite,
quam rem cumque ferox navibus aut equis
miles te duce gesserit.

nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii,
nec cursus duplicis per mare Ulixei,
nec saevam Pelopis domum

conamur, tenues grandia, dum pudor
inbellisque lyrae Musa potens vetat
laudes egregii Caesaris et tuas
culpa deterere ingeni.

quis Martem tunica tectum adamantina
digne scripserit aut pulvere Troico
nigrum Merionen aut ope Palladis
Tydiden superis parem?

nos convivia, nos proelia virginum
sectis in iuvenes unguibus acrium
cantamus, vacui, sive quid urimur,
non praeter solitum leves.

VII.

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mytilenen,
aut Epheson bimarisve Corinthi
moenia, vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
insignes, aut Thessala Tempe;

sunt quibus unum opus est intactae Palladis urbem
carmine perpetuo celebrare et
undique decerptam fronti praeponere olivam;
plurimus in Iunonis honorem

aptum dicet equis Argos ditesque Mycenas.
    me nec tam patiens Lacedaemon
nec tam Larisae percussit campus opimae,
    quam domus Albuneae resonantis

et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda
    mobilibus pomaria rivis.
albus ut obscuro deterget nubila caelo
    saepe Notus neque parturit imbres

perpetuo, sic tu sapiens finire memento
    tristitiam vitaeque labores
molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
    castra tenent seu densa tenebit

Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
    cum fugeret, tamen uda Lyaeo
tempora populea fertur vinxisse corona,
    sic tristes adfatus amicos:

'quo nos cumque feret melior fortuna parente,
    ibimus, o socii comitesque!
nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro:
    certus enim promisit Apollo

ambiguam tellure nova Salamina futuram.
    o fortes peioraque passi
mecum saepe viri, nunc vino pellite curas:
    cras ingens iterabimus aequor'.

VIII.

Lydia, dic, per omnes
    te deos oro, Sybarin cur properes amando
perdere, cur apricum
    oderit campum, patiens pulveris atque solis.

cur neque militaris
    inter aequales equitat, Gallica nec lupatis
temperat ora frenis?
    cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum

sanguine viperino
    cautius vitat neque iam livida gestat armis
bracchia, saepe disco
    saepe trans finem iaculo nobilis expedito?

quid latet, ut marinae
filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae
funera, ne virilis
cultus in caedem et Lycias proriperet catervas?

IX.

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte nec iam sustineant onus
silvae laborantes geluque
flumina constiterint acuto.

dissolve frigus ligna super foco
large reponens atque benignius
deprome quadrimum Sabina,
o Thaliarche, merum diota.

permitte divis cetera: qui simul
stravere ventos aequore fervido
deproeliantes, nec cupressi
nec veteres agitantur orni.

quid sit futurum cras fuge quaerere, et
quem fors dierum cumque dabit, lucro
adpone, nec dulces amores
sperne puer neque tu choreas,

donec virenti canities abest
morosa. nunc et campus et areae
lenesque sub noctem susurri
conposita repetantur hora,

nunc et latentis proditor intimo
gratus puellae risus ab angulo
pignusque dereptum lacertis
aut digito male pertinaci.

X.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
qui feros cultus hominum recentum
voce formasti catus et decorae
more palaestrae:

te canam, magni Iovis et deorum
nuntium curvaeque lyrae parentem,
callidum, quidquid placuit, iocoso
    condere furto.

te, boves olim nisi reddidisses
per dolum amotas, puerum minaci
voce dum terret, viduus pharetra
    risit Apollo.

quin et Atridas duce te superbos
Ilio dives Priamus relicto
Thessalosque ignes et iniqua Troiae
    castra fefellit.

tu pias laetis animas reponis
sedibus virgaque levem coherces
aurea turbam, superis deorum
    gratus et imis.

XI.

Tu ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
finem di dederint, Leuconoë, nec Babylonios
temptaris numeros. ut melius, quidquid erit, pati!
seu plures hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,

quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum: sapias, vina liques et spatio brevi
spem longam reseces. dum loquimur, fugerit invida
aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

XII.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
tibia sumis celebrare, Clio,
quem deum? cuius recinet iocosa
    nomen imago

aut in umbrosis Heliconis oris
aut super Pindo gelidove in Haemo?
unde vocalem temere insecutae
    Orphea silvae,

arte materna rapidos morantem
fluminum lapsus celeresque ventos,
blandum et auritas fidibus canoris
ducere quercus.

quid prius dicam solitis parentis
laudibus? qui res hominum ac deorum,
qui mare ac terras variisque mundum
temperat horis:

unde nil maius generatur ipso,
nec viget quicquam simile aut secundum.
proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

proeliis audax, neque te silebo,
Liber, et saevis inimica virgo
beluis, nec te, metuende certa
Phoebe sagitta.

dicam et Alciden puerosque Ledae,
hunc equis, illum superare pugnis
nobilem: quorum simul alba nautis
stella refulsit,

defluit saxis agitatus umor,
concidunt venti fugiuntque nubes,
et minax, quod sic voluere, ponto
unda recumbit.

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
nobile letum.

Regulum et Scauros animaeque magnae
prodigum Paulum superante Poeno
gratus insigni referam Camena
Fabriciumque.

hunc et incomptis Curium capillis
utilem bello tulit et Camillum
saeva paupertas et avitus apto
cum lare fundus.

crescit occulto velut arbor aevo
fama Marcelli; micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
luna minores.

gentis humanae pater atque custos,
orte Saturno: tibi cura magni
Caesaris fatis data, tu secundo
Caesare regnes.

ille seu Parthos Latio inminentes
egerit iusto domitos triumpho
sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos,

te minor laetum reget aequus orbem:
tu gravi curru quaties Olympum,
tu parum castis inimica mittes
fulmina lucis.

XIII.

Cum tu, Lydia, Telephi
cervicem roseam, cerea Telephi
laudas bracchia, vae, meum
fervens difficili bile tumet iecur.

tunc nec mens mihi nec color
certa sede manet, umor et in genas
furtim labitur, arguens
quam lentis penitus macerer ignibus.

uror, seu tibi candidos
turparunt umeros inmodicae mero
rixae, sive puer furens
inpressit memorem dente labris notam.

non, si me satis audias,
speres perpetuum dulcia barbare
laedentem oscula, quae Venus
quinta parte sui nectaris inbuit.

felices ter et amplius,
quos inrupta tenet copula, nec malis
divolsus querimoniis
suprema citius solvet amor die.

XIV.

O navis, referent in mare te novi
fluctus. o quid agis? fortiter occupa
portum! nonne vides ut
nudum remigio latus

et malus celeri saucius Africo
antemnaeque gemant ac sine funibus
vix durare carinae
possint imperiosius

aequor? non tibi sunt integra lintea,
non di, quos iterum pressa voces malo.
quamvis Pontica pinus,
silvae filia nobilis,

iactes et genus et nomen inutile,
nil pictis timidus navita puppibus
fidit. tu, nisi ventis
debes ludibrium, cave.

nuper sollicitum quae mihi taedium,
nunc desiderium curaque non levis,
interfusa nitentes
vites aequora Cycladas.

XV.

Pastor cum traheret per freta navibus
Idaeis Helenen perfidus hospitam,
ingrato celeres obruit otio
ventos ut caneret fera

Nereus fata: 'mala ducis avi domum,
quam multo repetet Graecia milite,
coniurata tuas rumpere nuptias
et regnum Priami vetus.

eheu, quantus equis, quantus adest viris
sudor! quanta moves funera Dardanae
genti! iam galeam Pallas et aegida
currusque et rabiem parat.

nequiquam Veneris praesidio ferox
pectes caesariem grataque feminis
inbelli cithara carmina divides,
nequiquam thalamo graves

hastas et calami spicula Cnosii
vitabis strepitumque et celerem sequi
Aiacem: tamen, heu serus, adulteros
crines pulvere conlines.

non Laërtiaden, exitium tuae
gentis, non Pylium Nestora respicis?
urguent inpavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus sciens

pugnae, sive opus est imperitare equis,
non auriga piger. Merionen quoque
nosces. ecce furit te reperire atrox
Tydides, melior patre:

quem tu, cervus uti vallis in altera
visum parte lupum graminis inmemor,
sublimi fugies mollis anhelitu,
non hoc pollicitus tuae.

iracunda diem proferet Ilio
matronisque Phrygum classis Achillei:
post certas hiemes uret Achaicus
ignis Iliacas domos'.

XVI.

O matre pulchra filia pulchrior,
quem criminosis cumque voles modum
pones iambis, sive flamma
sive mari libet Hadriano.

non Dindymene, non adytis quatit
mentem sacerdotum incola Pythius,
non Liber aeque, non acuta
si geminant Corybantes aera,

tristes ut irae, quas neque Noricus
deterret ensis nec mare naufragum
